



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
METASTASI
LACTEA

1773 2

QUAM
PRÆSIDE NUMINE DIVINO
EX CONSENSU
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

13

ET
PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT

DIE XXI. APRILIS A. O. R. MDCCLXXIII.

JOH. CHRISTIANUS STURM,
LÜBBENENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI, ex Prelo JONÆ LORENZ, Typographi.



V I R O
ILLUSTRI, EXPERIENTISSIMO
JOHANNI GOTTLÖB
S T U R M,
CELSISSIMO ILLUSTRISSIMO
DOMINO
HENRICO XI.
SACRI ROMANI IMPERII
COMITI RUTHENO &c.
A CONSILIIS AULICIS
ET CURANDA CORPORIS
VALETUDINE
MEDICINÆ DOCTORI, ET PRACTICO
CLARISSIMO, FELICISSIMO

PATRUO
IN PARENTIS LOCO
VERE COLENDO

UT
IMMORTALIUM BENEFICIORUM
GRATAM EI MEMORIAM
PUBLICÉ PROFITEATUR,

DISSERTATIONEM HANC
PIA MENTE

MERITO

DICAT

AUCTOR





S. I.

UT sua luce collustretur, quam succincte depingere statui, morbi historia, pauca quaedam apud me constitui de mammarum (a) structura, & lactis secretione praefari. Praeclare quidem de harum partium fabrica, ut & earum functione, id est lactis secretione, Cl. KOELPIN (b) & GÜNTZ. (c) aliique Cl. viri jamjam optime meruere, ut facile eo labore superfedere possent. Attamen quaedam ex anatomicis & physiologicis hicce repetere non penitus abs re esse duxi.

A

(a) Mammae vox commode derivari potest, a graeco *μαρμια* matre, cum matres praecipue mammis indigent. Graecis dicuntur, *μαρμια*, *μαρμια* a *μαρμια* quæro, quia infantes lac in mammis quaerunt. MENCELI Diff. de Structura mammarum. Lug. Bat. 1720. p. 5.

(b) Diff. de Mammarum structura. Berol. 1765.

(c) Diff. de Mammarum structura & lactis secretione. Lips. 1734.

§. II.

Bina, (d) hæmisphæria, subdura, alba, pectoris anteriorem mediam & superiorem partem occupantia, secundum sexum (e) & ætatem (f) magnitudine, consistentia, forma & figura variantia mammas appellant. (g) Constant illa ex pinguedine & glandulis, maxima ex parte portionibus cellulosis interspersis, in quibus mirum in modum ludentia vasa animadvertuntur. Omnia autem cooperiuntur integumentis communibus, quæ ad mediam hæmisphærii partem evadunt tenera, ibique circum coloratum unius pollicis circiter latum, quem *areolam* dicunt, nobis sistunt. Hæc roseo in virgine, subfusco autem colore in gravida atque lactante foemina gaudet, & multis tuberculis glandulosis, quæ arenæ speciem referunt, cryptis sive ductulis profunde satis migrantibus pro vario tempore varium humorum genus emittentibus, & a Morgagno falso pro ostioliis lactiferis habitis, (h) prædita est. Ex ejus centro surgit protuberantia rugosa (i) reticulata, valdeque irritabilis, quæ *papilla* nomen gerit, & eisdem tuberculis gaudet, atque cutis propago est. (k) Hæc in apice foraminibus

(d) WALLÆUS se mulierem tribus mammis instructam vidisse affirmat, in sinistro latere duobus in dextro una. CABROLIUS adducit exemplum mulieris, quæ quatuor mammas habuit, conf. MENCELIUS l.c. p. 9.
 (e) Ex GÜNZII l. c. §. 15. sententia mamme virorum lymphæ revolvendæ inserviunt, æque ac glandulæ axillares, inguinales, aliæve.
 (f) In infante utriusque sexus sunt æquales, anno decimo quarto ætatis puellarum plerarumque mamme superficies anterior ad justam convexitatem & magnitudinem accrescit. KOELP. l. c. p. 6.
 (g) *Expos. anat.* WINSL. Tom. IV. P. I. p. 192.

(h) KOELPIN l. c. p. 8.

(i) Quæ olim cavernosa spongiosa credita fuit papilla, KOELPINO l. c. p. 9. auctore, est nil nisi ex planiori superficie areolæ, magis magisque in cylindricum corpus contracta, in plicas contracta & condensata cutis, subtile tenaci, & molli cellulosa tela tubulos lacteos revinciente obducta.

(k) KOELP. l. c. p. 9. §. 10.

exiguus numero variantibus perforata est, quæ ductuum lactiferorum mox describendorum fines sunt.

§. III.

Cute ablata, oculos ferit glandula, cellulosa quadam subalbida cincta, & adipe maxime sepulta. (1) Hæc cellulosa cuti arte antè, musculo pectorali autem majori postè, cum quadam tamen adhæret mobilitate, ita ut tota in sacco quasi inclusa teneri videatur massa. Glandula ex multis conflata esse videtur glandulis, ideoque ad conglomeratarum familiam III. HALLERUS, (m) & GÜNTZ. (n) eam retulerunt. „ Non autem ejusmodi, „ sed peculiaris generis esse glandulam, atque ex tot di- „ versis glandulis constare, quot excretorii in papilla „ numerantur ductus ” Cl. KOELPIN (o) diferte explicuit. Ex ea nempe proficiscuntur ductus (p) tota in circumferentia innumerabiles (q) qui ab arteriis exsur-

(1) Condita est mamma in duo pinguedinis strata: alterum sub cute latitans anteriorem mammæ superficiem convexam reddit, eidem alborem, pulchritudinem conciliat, adipem in glebas colligit; alterum stratum quod eam mammæ superficiem obtegat, qua pectorali majori infidet, est tam cellulosa quam adipe impleta. KOELPIN. l. c. p. 11. & MÜLLER Diss. de glandulis & vasibus lymphaticis, quam Præf. BAUMER habuit. Gießl. 1765. p. 34.

(m) Element. Physiolog. T. VII. p. 6.

(n) Diss. cit. p. 11.

(o) Diss. cit. p. 26. §. 53. & MENCELIUS l. c. p. 15.

(p) Varii ordinis sunt, quorum maximus tubulus abit ad agmen seu glomer ductulorum in monticulum elevatum; alii lactiferi tubuli excurrunt a centro mammæ s. apice papillæ versus peripheriam; hinc & illinc ab aliis ductibus in suo decursu interrupti, mox alii supra alios & infra eosdem ambulare videntur, interim semper ita, ut major pars unius tubuli lactiferi ab alio vicino nequiquam confundatur. Videntur ductuli lactiferi congeries esse multorum intestinorum, vario ordine & positione coagmentatorum, uti longus ille canalis qui continet semen in teste virili. KOELPIN. l. c. p. 28.

(q) Numerus apud autores varius & incertus, KOELPIN. l. c. p. 29.

gunt, atque ambiuntur tela cellulosa densa, tenaci, splendente, & quo propius ad discum externum papillæ corrugatum veniunt eo magis eorum lumina coarctantur; ita, ut demum exiguo lumine, & sæpe quindenario, numero petant papillam. Magni momenti hic est adeps, is enim non solum maxime ad mammæ volumen facit, & vasa custodit, sed ad lactis quoque compositionem quid tribuere *III.* HALLERUS *(r)* contendit.

§. IV.

Insignis quoque vasorum, atque nervorum mammas adeuntium est numerus; scilicet arteriæ venæque, tam internam earum quam externam fabricam amplectuntur. Arteriæ externæ ab axillaribus, internæ a subclaviis protrahuntur. *(s)* Hæc cum ductibus lactiferis, & fere omnibus arteriis venisque vicinis anastomosin faciunt, glandulamque subeunt. Venæ origine variantes, sæpius tamen dextro in latere a trunco venæ cavæ; sinistro autem a subclavia ortum trahunt, cum arteriis, vasis lymphaticis maxime autem cum ductibus lactiferis connexionem alunt. *(t)* Nervi a dorsalibus exsurgunt. De quorum distributione in mammis luculentiorum descriptionem *Cl. KOELPIN.* *(u)* exhibuit. Vasa lymphatica, prouti in omnibus organis secretoriis summe necessaria hic quoque magno usui sunt: „Exsurgunt tam ex tubulorum lactiferorum cavis quam ex ipsa cellulosa, glandulis mammarum interfusa. Colliguntur hæc vasa lymphatica in superficie mammæ posteriori in plurimos furculos majo-

(r) *Element. Physiolog.* T. VII. p. 6.

(s) *Expositio anatom.* WINSLOW. T. IV. p. 196.

(t) v. *III.* MEKELII nova experimenta, & observationes de finibus venarum ac vasorum lymphaticorum in ductus visceraque excretoria corporis humani. Berol. 1772.

(u) *Diss. cit.* p. 17. 199.

res, qui glandulas conglobatas adeunt; tunc ex his glandulis exeuntes ductuli lymphatici procedunt ad plexus lymphaticos axillares, cum quibus junguntur ad interstitium musculorum pectoralis minoris, &c. Sic conjuncti hi ductuli lymphatici cum plexibus axillari- bus disperguntur in glandulas conglobatas, & ex illis iterum furculi lymphatici exeunt, donec tandem omnes hi rami conjuncti axillares in duos majores trunculos Mekelianos colliguntur, qui dein aut in venam subclaviam, aut jugularem variante infertione se finiunt." *Cl. KOELPIN. l. c. p. 24-25.*

§. V.

Ex data artificiosa structura nunc facile elucescit, mammas sexus fequioris non tam ad venustatem & voluptatis illecebras, quam ad aliud, idque nobilius minus, scilicet ut necessarium vitæ adminiculum sint, quo infantum imbecilli ætati succurritur, id est ad lactis secretionem dicatas esse. Nimis prolixus essem, si omnes circa hanc secretionem celebratas sententias hic proferre vellem; nam aliis ab impuro a menstruis orto sanguine, fermento; aliis autem a propriis vasibus, ductu thoracico, ventriculoque & nescio quibus aliis viis eam derivare placuit, (x) quæ omnia autem nostris temporibus sanior Anatomia, & Physiologia refutavit. Et utinam feliciores in penetranda adeo occulta glandularum structura essemus, certe omnium secretionum modus haud adeo explicatu difficilis amplius esset. Quot vero quantisque du- biis adhuc lactis secretio prematur optime sentio, cum de eadem mihi nunc differere proposuerim.

§. VI.

Chylum in sanguinem receptum duodecim fere ho- ras cum eo circulare & videri posse *III. HALLERUS (y)*

(x) MENCEL. l. c. p. 27.

(y) *Element. Physiolog.*, T. VII. p. 24.

tradidit; nec non multis superfluis, aquosis præcipue particulis per hunc circulum orbari, & per novas lymphaticas admixtas lacti simillimum esse. (s) Hanc mutationem celerrime fieri ex copiosa in foemina lactante aliquot post partum horas secretionem, videre est. Postquam dein in sanguinem conversus fuit, ad omnis generis liquores secernendos, partesque per actionem animalem amissas restituendas aptus fit.

§. VII.

Sexus sequior cum laxioris, mollioris structuræ sit ad nutritionem magis adapta esse videtur: Id non solum celerius incrementum & plethora, cui ita obnoxius est, ut certis in periodis, annisque per fluxum, quem menses appellant, pro uterinorum vasorum propria structura ea sese exonerare cogatur, maxime probant. Hic fluxus periodicus, cum foemina conceperit, cessare incipit, & omnia necessario a summo plethoræ gradu essent metuenda, nisi natura ejus imminuendæ alias vias excogitasset. Arbitrantur itaque ASTRUC, (a) MONROO, (b) ROEDERERUS (c) aliique succum illum, qui in sanguinem versus restitutioni partium perditarum atque ejusdem quantitati augendæ ansam præbuit, graviditatis tempore simul cum sanguine in uteri vasa magno lumine gaudentiâ penetrare, & novam secretionem ibi subire, ut dein ulterius præparatis ab uteri, & placentæ vasis exiguis resorberi, & una cum sanguine ad embryonem nutriendum per funiculum umbilicalem adduci queat; nam illum succum unice ad nutritionem embryonis requiri ex citatis eorum scriptis videre est: Evacuato autem utero & una cum eo contractis vasis

(s) *Prim. lin.* HALLER. p. 431.

(a) *Traité des maladies des femmes.* T. V. p. 222. Paris 1761.

(b) *Essais & observat. de Medec. de la société d'Edimbourg.* Paris. T. II. p. 239. fqq.

(c) *de utero gravido.* p. 12.

liberorem succo ingressum non permitti, ut ita impedita ibi secretionem retentus in sanguine vasa extendere, & propter intimam nobis adhuc occultam connexionem, quæ inter uterum & mammas est, has facile subire, & lactis secretionem dein producere possit. Ad hanc secretionem faciliorem reddendam jam in graviditate feri quid prementi se offert, quo sensim sensimque vasa ampliuntur, ut ex his dein sufficienter dilatatis, admota suctione verum & alibile lac in tenelli os fluere queat.

§. VIII.

Attamen male prospexisset foeminis natura, nisi vias ad lac superfluum resorbendum aptas in mammarum structura posuisset: Ita enim continua obtineret lactis secretio, ut non lactantes æque ac ablactantes multas noxas experirentur, quæ a lactis stagnatione & secessione necessario ortum suum traherent. Ad hæc autem mala avertenda venas quam maxime facere posse, & propterea easdem cum lactiferis ductibus intimam connexionem alere, industria III. MEKELII (d) detexit; sic ut lac superfluum ex mammis in sanguinem iterum reduci & eodem modo ac chylus recipi, inque animale naturam verti posse nunc evidens sit; dummodo lactis vitia quantitasque huic salutari resorptioni nulla obstacula ponant.

§. IX.

Nunc quædam adhuc de lactis analysi dicenda sunt. Lac maxima ex parte a chylo parari, & plane ei simile esse supra jam cum HALLERO in §. VI. adserui:
 „ Lac est liquor albus ex uberibus emulctus; qui odoris dulcescentis, & aliquantum nauseosi; saporisque oleoso-dulcis est. Constat ex plurimis partibus aquosis, cum quibus terreæ acido-pingues conjunctæ

(d) l. c. p. 47.

sunt." (e) Hæ partes autem vi proprii caloris, & in quiete a se invicem sejungi possunt, ut diversas substantias nobis exhibeant: Serum nimirum, quod sale essentiali gaudet; cremorem ex quo butyrum efformatur, & caseum, qui ad naturam animalemaxime accedit. Talis quoque partium secessus fieri potest, si lacti alcalina aut acida admisceamus, hac autem cum differentia quod cum his album colorem retineat lac, cum illis flavescens & si magna in copia affusa sint alcalina profunde rubrum induat. (f) Lac porro humanum pro vario individuo, prouti alimenta sumit, pro diversitate constitutionis corporis, ætatis temporisque in quo emulsiō instituta fuit, diversum erit.

§. X.

His præmissis ad morbum, quem lacteam metastasin appello, me vertere posse existimo. Pauca occurrunt in Medicorum libris de ea dicta, quamvis HIPPOCRATES (g) TH. WILLISIUS (h) alique eam observavisse, & ab ea variorum malorum congeriem deduxisse videantur: Attamen, cum, ut mihi videtur, semper causam ex qua metastasis lactea surgit, in dubium vocarint; ante Puzosium olim Parisinum Chirurghum præclarum nihil certi de ea pronunciare ausi fuerunt auctores. Hic vir ex arte obstetricia, quam scripsit, famosissimus diuturna experientia & frequenti sectione cadaverum nostro morbo defunctorum, edoctus egregiam Dissertationem (i) Academicam

(e) POERN. *mat. med.* p. 117.

(f) *Elem. chem.* BOERH. V. II. P. II. p. 299. sqq.

(g) Lac ab utero veniens & influens ad superiora vasa transit, & cum propria non habeat, in principales corporis partes incurrit, cor videlicet & pulmones &c. *de Glandulis* p. 422.

(h) *de Febribus* Cap. XVI. p. 132-137.

(i) Diss. quæ a Morisot Deslandes post obitum ejus in tres partes fuit divisa & una cum arte sua obstetricia fuit edita. Paris 1759.

demia Parifina tradidit, in qua multis observationibus monftravit, quod fi lac variis ex caufis mutatum fit, aut alieno loco inhæreat, diverfos interdum, immo acutiffimos morbos producere valeat. ASTRUCIUS, (k) Cl. LEVRETUS, (l) Cl. DELEURYE, (m) aliique cum eum in obfervando fint fecuti, & magis magisque in morbi naturam inquisiverint, non folum ejus dicta comprobant, fed novis fubinde egregiisque obfervationibus confirmaverunt.

§. XI.

Lactis metaftafis furgit, quando lac a fanguine fecedens ex natura fua fponfe degenerat, (n) vel ex admixtis heterogeneis vitium contrahit, (o) vel impedita fecretione, & excretionẽ alias vias ingreditur, in quibus effe non debebat, atque ita ftatum morbofum producit. Sub hac tamen definitione latiori fenfu fumpta videre eft, quod omnia quæ Ill. GAUBIUS; (p) fub fluidorum aberratione, impactorum, effuforum &c. errore, monet; nec non illa mala, quæ apud Gallos veniunt fub nominibus: *Dépôts laitieux, lait repandu, infiltration, engorgemens, revolutions laitueufes, epanchement laitieux* &c. & Germani vocant: *Zurücktreten der Milch, Milch-Gefchwulft, Gefchwulft von einer Milchverfetzung, Milchfammlung* &c. quæ cum eadem caufas agnofcant, unico metaftafis lacteæ nomine comprehendam.

§. XII.

Varia cum effe poffint chyli vitia, quæ a cibo & potu maxime contrahit, non poffunt non varia labe

(k) *Maladies des femmes*. T. V.

(l) *L'Art des accouchemens*. Par. 1766.

(m) *Traité des accouchemens en faveur des elevés*. Paris 1770.

(n) vid. Puzos. l. c. fponfe corrumpitur quando acidum fuum evoluitur. p. 343.

(o) Puzos. l. c. p. 343.

(p) *Patholog.* p. 186. fqq.

omnes nostri corporis humores conspurcare: (q) mirum hinc non est quod lactis humor, qui totus ex eo paratur, varia vitia sibi ex mala chyli præparatione contrahat, ejusque partes constitutivæ ex suo nexu recedant. Is ex variis causis corruptus, admixtis humoribus vitiat, in ulteriori secretione magis magisque a sua blanditie, quam tamen omnes humores ad nutritionem destinati habere deberent, recedit, & diversos morbos a vitiatâ lactis cohæsiõne, acritate &c. producere valet. Conf. GAUBIUS (r)

Eidem huic corruptioni debentur & variæ illæ, quæ frequentissime contingere solent, lactis aberrationes, de quibus hic præcipue agendum erit. His lactis aberrationibus abundantia quoque ejus potest ansam præbere.

Excessum lactei humoris non raro foeminæ, inprimis lauto victu viventes experiuntur, quando variis ex causis proli suæ nutrimentum denegant, aut ex proposito lac in mammis secretum repellunt; nam his in casibus, nisi in mammis jam variam emittentium vasorum affectionem produxerit, & in aliena loca transferit, iterum ex manibus ad sanguinem, humoris lactei jam magna copia gaudentem relatus, vasis molestiam creat, & cum, quod frequentissime accidit, a debilitatis vasis non subigi, nec in animale naturam converti possit, per moram in sanguine degenerat, ex vitiosa quam contraxerat, qualitate, cujus prima origo in ipsa lactis abundantia est quærenda; sic quantitate peccans lac, variis aberrationibus ansam præbet.

Quod in lactis, cui fecernendo, prouti omnibus nostri corporis humoribus a natura propria vasa dicata sunt, a quibus sine œconomia animalis noxis recedere non debent, (s) secretionem impedita, varii morbi in par-

(q) GAUBII *Patholog.* p. 151. sqq.

(r) *Id.* p. 128 - 136. sqq.

(s) *Id.* p. 136.

tibus corporis foemini oriri possint, ut nunc common-
stem, ratio instituti postulat.

Antequam autem ad illos varios morbos a metastasi
lactea oriundos progrediar, quædam morbi differentia
commemorandæ sunt. At, non sensibilitatem sexus se-
quioris, irritabilitatem & idiosyncrasiam, quæ pro sta-
tu, in quo ex naturæ lege constitutus est, varia sunt:
neque temperamentum, ætatemque &c. respicio, quæ
omnia easdem differentias, prouti in morbis analogis
nobis sistuntur, exserunt. Majorem vero attentionem
merentur partes metastasi affectæ, & tempus quo illa
excitatur.

§. XIII.

Ex antecedentibus jam liquet, omnes fere partes,
sint internæ vel externæ, a morbo hoc corripri posse, (t)
HIPPOCRATES jam tradidit ut in §. X. annotavi: quod,
si partes invadat internas (nobiliores) mortem sequi.
Cl. LEVRETUS (u) contendit lethalem metastasin esse, si
tribus in ventribus fiat: Puzos (x) aliique gravissimos
& acutissimos morbos exoriri, si interna occupat, mul-
tis exemplis probat.

Imo vero partes etiam externæ omitti non debent,
quas vario modo affectas diversos exhibere morbos con-
stat, ut in sequentibus sum explicaturus.

Quod vero tempus attinet, metuenda erit metastasis
secundum mentem auctorum per totum tempus, ubi
lac a sanguine fecedit. Puzos (y) in gravidis, mox post
partum, graves acutosque morbos se vidisse contendit:
Cl. LEVRET (z) aliique diuturnos & difficiles curatu

(t) *Le lait retenu dans la masse du sang se jette souvent sur quelque partie externe ou interne & y produit un dépôt laiteux, soit lymphatique soit inflammatoire.* vid. *Le Roi mélanges de Physique & de Médecine.* Paris 1771.

(u) *l'Art des accouchemens.* p. 186. §. 981. (x) l. c. p. 347.

(y) l. c. p. 372. (z) l. c. p. 186. §. 981.

duodecimo, & decimo quinto post partum die, quin imo integro post partum anno elapso, (a) observarunt. Ex quibus elucet non levem esse pro partibus affectis, & tempore quo morbus excitatur, differentiam,

§. XIV.

Tales lactis metastases rarissime in gravidis contingere simul Puzos (b) tradidit; frequenter autem esse dictis in diebus, (c) in puerperio propter faciliorem lactis secessum; imo etiam aliquot septimanas post partum editum, accedentibus variis causis. (d) An autem lactis metastasis, mox post partum tales sæpissime incidentes & periculo plenos morbos producere valeat, plurimi sunt qui dubitant; & quidem hac ex ratione, quum parca sit eodem tempore in foemina a partu debilitata & sanguine exhausta humoris lactei a sanguine secedentis copia, qui demum 2do, 3ve die superata febricula prodire solet: sæpius autem aliæ causæ considerari debent, sc. inflammationes internæ, (e) extus admota, (f) lochia suppressa atque putrida ex utero resorpta, (g) quæ tales acutos morbos, & inflammatorias febres producere valent.

Attamen cum observata loquantur, lac aliquot horas a partu tanta in copia adfuisse, (h) ut etiam infantibus ubera præbuerint foeminae, nullus dubitabit, talia mala, quæ non raro in foeminis partum enixis animadvertuntur, lacti corrupto contribui posse.

(a) LE MOINE *Système nouv. de l'art des accouchemens* p. M. Bourton p. 100. (b) l. c. p. 372.

(c) octavum, decimum aut duodecimum a partu diem, metastasin oriri asserit LE MOINE l. c. p. 499.

(d) PUZOS l. c. p. 350. LE MOINE l. c.

(e) HULME *von Kindbeter-Fieber*. Leipz. 1772.

(f) MEKEL l. c. p. 65.

(g) v. SWIETEN *comma*, p. 611.

(h) *Id.* p. 635.

§. XV.

Quum lac in mammis collectum & in sanguinem re-
trophulum per varias vias e corpore effugere molitur,
& jam indicatum sit §. XII, XIII. tam externas, quam
internas corporis foeminini partes adire: non incon-
gruum fore existimo, si hunc morbum in externum &
internum dispescimus. Sub metastasi externa intelligo,
si lac ex mammis redux aut in iisdem non legitime fe-
cretum ad varias corporis partes ignobiliore defertur,
id est in omnem telam cellulofam (i) in glandulas con-
globatas, quas axillares vocant, in dorso, abdomine,
in regione hypogastrica &c.

Si lac in mammis abundans has partes inflat, gland-
ulas conglobatas in vicinia fitas eodem fidere affiat,
ut similis tumor & in iisdem procreetur, qui subinde
magis magisque progrediens ASTRUCIO (l) annotante,
tandem ipsum collum invadit, ita ut vix circumverti
queat. Lac ex mamma dextra in os delatum, ibique
profliens refert NUKIUS; (m) salivationem lacteam in-
fignem foeminam perpeffam esse habet Puzos, (n) me-
morabile proffat exemplum in *Journal de Medec.* (o)
tertio post enixum partum die, tali in copia lac mam-
mas adiiffe, ut mammae intumefcerent enormiter, tu-
mor sese expandebat usque ad alas, collum, totum oc-
cupabat pectus, ut multa difficultate caput moveri posset,
& aegrot cogeret brachia elevare; adhibitis re-
mediis tumor cessit, sed lac ex manumis retrocessit in
abdomen, id in tumorem attollebat, & hydrope ibi-
dem orto paracentheseos ope ex abdomine evocabatur.

(i) Apparent lactei tumores praecipue in extremitatibus inferioribus;
rarius in superioribus, communissima eorum sedes est in tela cellu-
lofa peritonaei. PUZOS p. 344. & LE MOINE l. c. p. 499. DE-

LEURYE l. c. p. 355.

(l) l. c. p. 430.

(m) *Sialogr.* p. 50.

(n) l. c. p. 344.

(o) Tom. XXXIV. p. 284.

In dorso observante III. DE HÆN (p) ab abundante lacte, quod duobus infantibus sufficiebat, duobus annis a primi infantis partu a mammis retropulso, tumor metastaticus exortus fuit. Lac ad musculos pectoris migrasse observavit Puzos. (q) Nec abdomini parcit metastasis lactea. (r) In actis Parisinis (s) mentio fit hydropsis lactei peritonæum inter & musculos abdominis orti, quo puerperæ abdomen post tres septimanas ad æque magnum volumen extensum fuit, ac graviditatis tempore, tandem umbilico sponde disrupto insignis foetidi humoris lactei copia, in cavum abdominis sese effudit. Lac per umbilicum effluere, (t) & humorem lacteum in abdomen effusum observavit Puzos; (u) lac morbose ad hypogastricum delatum, febrem intermittentem excitate legis in *Journal de Medec.* (x)

§. XVI.

Sæpissime tamen lac in ipsis mammis tumores metastaticos efformat, si scilicet lac in his organis nimis abundat, aut ductus lactiferi vitio quocunque laborant; lac ab urgente a tergo unda impulsus reverti nescit, & sese effundit in telam cellulofam totam mammam ambeuntem, quod raro fit, ut magnus uniformis undique æquabilisque tumor exfurgat; aut in illas ex quibus mamma componitur glandulas aberrat, ut inæquales a

(p) *Rat. Med.* T. VII. p. 134. sqq.

(q) l. c. p. 374.

(r) Les dépôts fixés dans la région inférieure du ventre, sont presque tous jours situés depuis l'aîne de l'un ou l'autre côté, jusqu'à l'épine antérieure & supérieure de l'os des îles. Il-y-en a, ou l'humeur se dépose sous la peau & les graisses; d'autres entre les muscles, & le péritoine. Les plus considérables se logent dans le tissu cellulaire du péritoine, dans les ligamens larges, ou dans les ovaires: Il est rare que ces dépôts attaquent les viscères &c. Puzos l. c. p. 347.

(s) *Mémoires de l'Acad. des Sc. l'an.* 1728. p. 413.

(t) l. c. p. 344.

(u) l. c. p. 372.

(x) T. XXI. p. 113. cf. Puzos l. c. p. 346.

se invicem distantes tumores aut nodi progignantur; aut utrumque vitium amico vinculo connectitur, unde inæqualiter tumet mamma, & in quibusdam locis durior est quam in aliis. (y) In textu celluloso, quod peritonæum inter & corpora vertebrarum, nec non posteriorem pelvis partem interjacet, hinc inde lactei tumores observati sunt: qualem in regione renis animadvertit Puzos (z); talem observavit LEVRET (a) in cellulosa per quam peritonæum nectitur pelvi, vel inter muscolum psoam & iliacum, vel inter duplicaturum ligamentorum latorum.* Metastases lacteæ apparent & in extremitatibus præcipue autem in femore, ibi cellulosa pelvis vaporum cruralium ope communicans cum cellulosa femoris, lac receptum facile in dictam cellulosam femoris transmittit, ita ut eo a superioribus semper magis magisque descendente versus inferiora, tota tandem extremitas inferior tumore œdematoso lacteo afficiatur v. SWIETEN. (b) Ex dictis nunc dilucide perspici potest, quam late pateant aberrationum lactis sedes; pedum æque ac manuum digitos adit lac aberrans, imo per totam cellulosam vagatur, quæ cute reclinata oculos ferit. Egregie hæc res illustratur observatione Cl. LUDWIG (c) ubi in infante morbo varioloso laborante, varii tumores lactei in diversis telæ cellulosæ partibus oriebantur, ex quibus cum sanie & lactis coagululum exibat; qua simul & id edocemur, lacteos abscessus non solum sub cutem, sed profundius ad periostium generari, & præcipue ad loca articulis vicina. Cariem ex lacte degenerato & in articulationem femoris deposito annotat. Puzos (d)

(y) LEVRET *l'art des Accouchem* §. 963. (z) l. c. p. 384.
 (a) l. c. §. 927. * cf. PUZOS l. c. p. 357, 399.
 (b) *Comment.* T. IV. p. 611.
 (c) *Advers. Med.* Vol. II. P. II. p. 185, seq.
 (d) l. c. p. 349.

De cute, an ad ejus superficiem aberret lac dissentiunt inter se auctores. In dubium vocat hanc rem v. SWIETEN (c) sed veram per cutis spiracula lactis excretionem confirmare credit Cl. LEVRETUS (f) sudores illos criticos, quibus febres a lacte excitatae terminantur, nec non exanthemata miliaria puerperarum quorum originem in ipso lacte ad extrema vasorum cutaneorum delato, sed nimis spisso, quam quod per eorum ostia exhalet, quarunt. Cl. LUDWIG (g) purpuram puerperarum oriri ait ex humoribus chylofis & gelatinosis, quoniam ipsis post puerperium accessus ad mammas intercluditur in varios contextus cellulosos convertuntur, & per regimen nimis calidum & nutritionem largiorem aliosque diatae errores, acriores redditi cum sudore ad habitum cutaneum transferuntur. Pruritus ab humore seroso-lacteico ad cutem delato ortum, habet Puzos (h)

§. XVII.

Morbis metastaticis externis perpeffis, ad internos pedem promoveamus. Quod lac ad intestina deferri possit confirmat diarrhoea lactea, cum decrescente mammarum turgore. (i) Urina lactea evidens argumentum est lactis ad renium organon ruentis. (k) Puerperarum lochia albida, quae Cl. LEVRETUS (l) lacteum humorem esse censet, lac in laxam uteri (m) fabricam venire demonstrat; quod negat v. SWIETEN (n) purulentam esse materiam

(c) *Comment.* T. IV. p. 609.

(f) l. c. §. 896.

(g) *Advers. Med.* V. II. P. II. p. 184.

(h) l. c. p. 344. cf. id. l. c. p. 377. fqq.

(i) STORCH *Weiber-Krankheiten.* VI. B. 608. S.

(k) ANDRY *de la Generation de vers.* p. 82. fqq. cf. & v. SWIETEN p. 610.

(l) l. c. §. 88.

(m) Uterus naturalissima via predebatur per quam lac abundans sub lochiorum forma prodiret. v. SWIETEN p. 609. T. IV.

(n) l. c. T. IV. p. 609.

materiam affirmans : Sed & in duriozem virgineum uterum lac diverti, loquuntur menstrua lactea. (o)

Lac cerebrum obruens, quod vero rarissime accidit, tristes post se trahere sequelas animadverterunt; apoplexiam (p) cephalalgiam, cujus non nunquam comites sunt furditas cœcitasque, paralyfin (q) & maniam (r) exinde productam aserit SAUVAGES (s), caliginem lacteam recenset idem. (t) Amaurofin ex pressione nervi optici ortam, habet SAINT-YVES (u). Lac & in pectus divertere, peripneumoniam, (x) pleuroperipneumoniam & pleuritidem spuriam excitare observaverunt diligentes naturæ observatores. (y) Lactis per totum corpus morbose aberrantis historiam reperis in *Recueil period. d'obf.* (z)

§. XVIII.

Hæc de morbi sedibus sufficiant, ad causas explicandas me nunc accingo. III. MEKELIUS (a) contra eos infurgit, qui lactis in sanguinem regressum absque fundamento tanquam causam morborum fere omnium puerperas post puerperium infestantium accusant; quum nil nisi inflammatoriæ febris post partum ortæ, aut refri-

(o) PAULINI *Observat.* Cent. I. observ. VI.

(p) Oritur primis octo diebus & tres ejus decursus periodos animadverti posse annotat DELEURYE l. c. p. 358. §. 1078. *l'Apoplexie menacée, l'apoplexie se forme, ou elle est déjà formée.* Apoplexiam lacteam considerat LE ROI tanquam febrem lacteam malignam quæ humores lacteos tanto impetu tantaque in copia ad cerebrum defert ut intra viginti quatuor horarum spatium moriantur ægrotae. *Mélanges de Physique & de la Medec.* p. 201.

(q) PUZOS l. c. p. 350.

(r) PUZOS l. c. p. 387. LEVRET §. 884.

(s) *Nosolog. method.* T. III. P. I. p. 259.

(t) Id. T. H. P. H. p. 259.

(u) *Nouveau traité des maladies des yeux.* Paris 1722. p. 243.

(x) DELEURYE l. c. p. 364.

(y) PUZOS l. c. p. 374.

(z) Tom. I. Aout 1754. p. 100.

(a) l. c. p. 57.

gerationis, aut erroris in diæta commiffi effectus fint. Omnes fere auctores in eo errare videmus quod morbos ex lymphâ acri, vel tres, pluresque annos post puerperium obortos, ab hoc lactis in fanguinem regreflu derivent. Naturæ enim, & mammarum fabrica id edocet, maximeque conveniens est, ut lac nimis abundans ex mammarum tubulis per vafa lymphatica venofaque in fanguinem refluat & cum reliquis humoribus circulationis vias fubeat, ac chyli inftar in fanguinem mutetur. Evidens itaque est, quod blandus hic liquor, fabricæ corporis foemini minime noceat, fed potius utiliffimus fit, nifi ex fanguine, qui, antequam ad mammas adveheretur, acrimonia laborabat, fecretus fit, aut fibi ex feri infectione, cum fanguinis maffa commixtus, labem contraxerit. Quum nunc nulla, uti jam inuimus, metaftasis oriri poffit, nifi ex vitiato lacte; palam erit, ut quotiefcunque ex nimia lactis abundantia (b) tumores exfurgunt metaftatici, neceffe fit, ut lac, vafis lactiferis cum fummo puerperæ, aut nutricis cruciatu nimis expansis, diuturniore in tubulis lactiferis ftagnatione, cogatur & corrumpatur, aut difruptis illis in telam (c) cellulofam effufum, per ftagnationem acrimoniam induxerit; aut in fanguinem refluum, ferum nimis fiffum, tenaxque reddiderit, (d) & quum per glandulas conglobatas tranfire nequeat (e) quæ motus excitarentur febriles, quibus degeneratum in aliena loca aberrat.

Metaftafi favet & nimia lactis fiffitudo, nimiaque tenuitas; fi nimis fiffum est lac, haud difficulter obftructions creat; fi nimia tenuitate laborat, vix non femper cum acrimonia quadam est conjunctum, qua

(b) Abundantiam lactis progignere poffunt variae caufe e. g. infantis debilitas aut mors, mammarum & papillarum vitia, *pulmonum morbi*.

(c) cf. Puzos l. c. p. 385.

(d) Lac cum lymphâ facile, cum fanguine nunquam mifceri docet. ASTRUC l. c. p. 453.

(e) ASTRUC l. c. p. 454.

mammæ excoriat, tubulos lactiferos erodit; aut in sanguinem receptum varia turbarum genera excitat.

§. XIX.

A lacte procedamus ad ejus organon præparatorium, quod non nunquam dispositioni metastaticæ anam præbet; si nimis parva est mamma aut plane deficit, si nimia adipis mole facta, inflammata, aut alio quocunque vitio affecta, lactis secretionem & excretionem impediens, metastasi favet. Eadem metuenda est, si recensita mammæ vitia in papillam cadunt, cujus exulcerata ostia excretoria facillime concrefcunt. Nimia papillæ sensibilitas, quæ suctionem infantis ferre nequit, sæpius causa est, cur lac aliena in loca derivetur; nec id vitium, quo virgines præcipue laborant, hic omitendum est, quod nempe papilla ita delitescat, ut a prole attracta vix erigi possit; hoc vitium sæpius in causa est, ut non nisi aquosa lactis pars excernatur, crassior remanens ostia ductuum lactiferorum obstruat, unde necessario lac, mammæ cum dolore mirum in modum expandit, & aliquando id morbi genus excitat quod SAUVAGES (f) mastodyniam pilarem, Galli *le poil* (g) vocant. Aut in sanguinem regurgitans aliena in loca derivatur. Hæc de mammis, quatenus metastasibus lactis favent. Sed multa alia adhuc prostant causarum genera, quæ ad lacteos tumores hinc inde in cellulosa oriundo corpus foeminarum disponunt: cuncta ea recensere superfluum, minusque necessarium duco, potiora indicare sufficiet. Pertinent huc ante omnia sex res non na-

(f) Nosolog. method. T. III. P. I. p. 203. Tom. II. P. I. p. 223.

(g) LE MOINE l. c. p. 501. LEVRET l. c. §. 954. ASTRUC l. c. T. VI. p. 29. PUZOS l. c. p. 348. C'est une dureté au sein accompagnée d'une légère inflammation, qui tourne ordinairement en suppuration, si les saignées, la diète & l'application de quelques topiques n'ont pu en obtenir la résolution.

turales; ab ingestis, qualitate peccantibus digestionem lædi, chylumque corrumpi, nemo est qui ignorat; necesse itaque est, ut lac ab ea, quæ ipsi propria est indole, recedat. Ex nimia assumptorum largum præcipue alimentum præbentium quantitate, nimiam lactis copiam procreari & legitima ejus excretionem (h) impedita varia tumorum lacteorum genera oriri posse, quisquis perspicit. Quasunque excretiones auctas lac a propriis vasibus aliena in loca avocare experientia testatur, ubi suborta diarrhœa aut urina lactea (i) mammæ subfidere visæ sunt. Ex retentis excretionibus lac corrumpi confirmant symptomata post lochia suppressa, aut iisdem non rite fluentibus orta. Nimiam quietem metastaseos lacteæ occasionem esse loquuntur divitum, lautam otiosamque vitam agentium, feminarum infelicia puerperia. Motus excessus, ut omnium humorum se- & excretionem turbat, quod & lactis pervertere valeat, nemo dubitabit. Animi affectiones lactis se- & excretionibus obesse testatur femina, cui terrore percussæ lac in mammis in coagululum abibat (k) nec non observatio lactis post terrorem incassum in cavum abdominis effusi: aerem frigidum lac reprimere aut in mammis cogere affirmat *Cl. LEVRET (l)*. Sic quoque nimium aeris calorem reliquasque ejus vicissitudines diversimode lactantes afficere Medicorum loquuntur scholæ. Variæ aliæ adhuc sunt conditiones, quæ metastases excitare valent. Interdum quibus primæ viæ afficiuntur, vitia diversimode lac corrumpere & aliena in loca derivare, egregiæ docent ob-

(h) Ex retento in massa sanguinea lacte nec rite ad mammas delato, febrem lacteam malignam, periculis plenam sæpe lethiferam, metastases lacteas inflammatorias in abdominis æque ac pectoris visceribus excitantem testatur *LE ROI melanges de Physique & de la Médec.*

p. 200. lqq. (i) *ANDRY l. c. p. 82.*

(k) *Acta Harlem. P. III. p. 31.*

(l) *l. c. p. 351.*

servationes *Cl. VAN DER BOSCH (m)* In iis, quæ ulceribus pulmonum laborant, haud difficulter ad pulmones defertur. *(n)* Quoties non observamus post partum laboriosum vasa puerperæ ita debilitata ut lac versus mammas rite non urgeatur *(o)* & aliena in loca, uterum præcipue, deponatur. Nova imprægnatio lac e mammis ad uterum avocatur, multaque lactis vitia procreare solet. Ipsi tandem validi in partu nati, per quos ligamenta, muscoli & nervi ad spinam dorsi lumbarem, & conjunctæ cum ossè sacro, coxæ vehementer tenduntur, tumorum lacteorum ad spinam lumbarem & inferiores extremitates crebrius, quam aliis in locis orientium causa sunt. *(p)*

Discussis nunc causis metastaseos lactis proxima æque ac remota, hæc adhuc quæstio moveri posset; quænam sit causa, cur si tumores lactei exsurgant, illi sub forma œdematis appareant? qua ex causa in partibus potius exterioribus, quam interioribus contingant? quænam tandem ratio adest, cur eadem causa, quæ metastases lacteas progignit, quæque ceu causa universalis hujus morborum status considerari potest, non in omnes glandulas agat, & universalem quasi lactis metastasin in corpore excitet? ob arctos, quos Dissertationis Academicæ paginis præscribimus, cancellos, hanc materiem sicco pede transgredi cogor; interim eam bene discussam legis apud *ASTRUC (q)*.

(m) *Hist. constit. epidem. vermin.* 1769. p. 201-220. conf. *BOERH.*
Elem. chem. T. II. L. B. 1722. p. 302.

(n) *ROEDERERI Diss. de temp. in gravid. & partu astinatione.* §. 10.
in *opusc. med.* p. 41.

(o) *Journal de Médec.* T. XXIV. p. 412.

(p) *LUDWIG advers. med.* V. I. P. IV. p. 728. conf. *Journ. de Médec.*
l. c. p. 413. fqq.

(q) l. c. T. V. p. 455.

§. XX.

Quum in præcedentibus perspexerimus, quibus ex causis lac variis modis in corpore aberrare possit, necesse erit, ut & signa indicemus ex quibus colligere licet, nutricium hunc humorem præter naturam propria vasa deseruisse alienisque in locis fixas occupasse sedes. Antequam autem ipsa hæc signa tradamus, non superfluum fore ducimus, quædam de lactis aberrationibus in genere admonere, deinceps differentiam illam annotare, quæ metastases lactis ab aliorum humorum transmigrationibus, aliena in vasa aut in corporis cavitates effusionibus distinguit, qua ignorata facile in errores duci valet Medicus. Humor lacteus præter naturam aliis in locis, quam quæ ipsi destinata sunt, hærens plerumque tumores efformat, oedematis speciem præ se ferentes; aliquando phlegmone accedit; sæpissime ejusmodi tumores partim ex calore loci affecti, largoque quem ingerimus ægrota potu, partim ex remediis parti affectæ superhabitis resolvuntur; (r) ita ut tumor sive plane disparcat, sive una aut plures glandulæ turgidæ remaneant, quæ mox molles sunt, mox renitentur atque aliquando in scirrhum (s) abeunt. Nonnunquam ipsi illi tumores, quibus phlegmone junctum est, in suppurationem abeunt, inque abscessus degenerant, ulcera curatu difficilia post se trahentes. (t) Quum humor lacteus alio quocunque humore lymphatico spissior sit, hincque vasa magis di-

(r) ASTRUC l. c. p. 458.

Notabile exemplum in *Journ. de Médec. T. XXIV. p. 418.* exstat inflammationis fere universalis viscerum abdominalium, quæ ex metastasi lactea orta & naturæ nisibus resoluta erat. Resolution, dicit PUZOS l. c. p. 365. *est assurément la terminaison la plus favorable, & même la seule désirable.*

(s) Unde ægrota redeuntes ex aeris vicissitudinibus dolores in parte affecta experiuntur ASTRUC l. c.

(t) id. l. c. p. 459.

stendere, majoresque dolores procreare valeat, facile œdema a lacte e suis vasis aberrante formatum, ab illis, quæ ex quocunque alio stagnante humore oboriuntur distinguere valemus, magis quippe durum est magisque renitens, atque majores dolores excitat. (u) Differt & metastasis lactis in partes externas facta a rheumatismo cum quo ceterum multa communia habet. Metastasis lactea nunquam aut raro indolem inflammationis præ se ferre solet, quæ tamen perpetua rheumatismi comes est, nec adeo vehementes dolores adsunt, præterea metastasis non nisi tempore graviditatis, aut post partum ex lactis secretionem impedita exoritur, quum rheumatismus quocunque tempore surgere & corpus affligere solet. (x) His prælibatis nunc signa ex quibus metastasin lactis factam fuisse colligimus propius inspiciamus. Quamprimum lac alia in loca, quam sua abit, oriuntur horrores irregulares, totus corporis habitus alteratur, lingua fordidibus obruitur, accedunt nausea & vomitus. Si metastasis jam est facta, cessant symptomata, sed brevi redeunt, sentit ægrota dolorem in certa quadam parte gravativum, qui prouti morbus posteriores facit progressus, auctior lancinansque evadit, juxta intentionem doloris augetur febris. Pars in quam depositum fuit lac, elevatur, in tumorem attollitur aliquando insignem. (y) Si metastasis ad summum pervenit, urina antea clara, nunc fit turbida, alvus stipata, cutis arida, sicca, dolores capitis ægotam vexant (z); si intra pelvim deponitur lac, præcedunt motus febriles, horripilationes, sentitur dolor circa inguina, pondus in pelvi & infirmitas femorum, tumor enim lacteus muscolum iliacum ejusque tendinem & psoam premit. In dorso decumbens ægrota majores

(u) id. l. c. p. 457. LEVRET, l. c. §. 935. PUZOS l. c. p. 345.

(x) ASTRUC l. c. p. 460.

(y) LE MOINE l. c. p. 500.

(z) DELEURYE l. c. p. 356. sq.

rem sentit molestiam femoribus extensis quam flexis: fasciculus vasorum cruralium dolet, in quo tangentis manus hinc inde parvos olivares tumores offendit. Tandem lacteus tumor telam cellulosam femoris occupat & a parte superiore magis magisque versus inferiorem serpit, ut in crure & pede observetur. Si in extremitatibus inferioribus lacteus tumor prorumpit, unam tantum, rarissime utramque male habet, & discussum malum uno femore sæpe ad alterum migrat (a); quibus in partibus ejusmodi a lacteo humore orti sese distinguunt ab illis tumoribus oedematosis, qui interdum, uti modo dicti, versus graviditatis finem feminam infestant; hi enim in pede exoriuntur, paulatim ab inferioribus superiora versus progrediuntur, usque ad femur, partes genitales, renisque regionem, raro cum doloribus sunt supati, & duas extremitates simul occupant. (b) Lacte in duplicaturam ligamentorum latorum aberrante, quod plerumque aliquot dies post foetum enixum evenire solet, dolores exsurgunt satis atroces in alterutra regione iliaca, massam solidam plus minus prominentem tactu percipis: ab initio tumor plus minus magnum spatium occupat, mox, nisi prompta adhibeantur auxilia, in abscessum mali moris degenerat: (c) Nec minora mala metuenda sunt, si lac in abdominis regionem inferiorem divagatur; nulla certa signa, quibus metastasin lacteam dignoscere vales, aut visui aut tactui sistuntur; excitat autem tormina vagantia in totius abdominis ambitu, quibus neque uterus constringitur, neque lochia promoveantur, quemadmodum in torminibus post partum ortis observare licet, quæ certo tandem in loco fixa insequuntur appetitus prostratus, insomnia, febris modo continua,

(a) PUZOS l. c. p. 345. LEVRET §. 928. fq. (b) id. p. 346.
 (c) DELEURYE l. c. p. 377.

continua, modo intermittens, decimo demum duodecimo aut decimo quarto die tumorem sentire vales (*d*) metastasin in pectus factam a pleuritide facile dignoscis, quod non adit exscretio cruenta, nec non perpetua difficultas respirandi & calor ardens ægram vexent. Symptomata, licet gravia, per aliquot tempus remittant, abdomen non intendatur, nec caput habeatur male. (*e*) Lactei humoris esse illam, quam quarto aut 5to post partum die interdum observare licet, cutaneam eruptionem, nec cum furunculi aut erysipelatis indole communicare, si pustulæ albidi transparentisque coloris conspiciuntur, quæ caput aciculæ non superant variasque corporis partes, v. g. pectus, abdomen, collum, digitos contingunt. (*f*)

§. XXI.

Ex precedenti §. satis jam apparet, quam facile non solum metastasis lactea in externis partibus dignosci, sed & species ad quam referri debet, determinari, atque causa ex qua suos traxit natales, detegi possit; cuncta enim, quæ circa eandem observamus, nostris oculis sunt subiecta. Longe vero difficilior est diagnosi, ubi lac ad partes interiores ruit, &, quod interdum in primo ejus ortu fieri solet, (*g*) sub forma larvata incedit & speciem plane alius morbi præ se fert; attamen metastasin lactis adesse judicamus, si post partum subito sine alia causa evidenti, præter secretionem lactis impeditam, morbus acutus, aut dolor in certa quadam parte interna, præcipue glandulosa fixus, ejusque functionem turbans, apparet. (*h*) Lacteum humorem sensibilem cerebri substantiam adiiisse, aut inter velamenta ejus sese effuisse cognoscimus ex lochiis ferosis admodumque par-

(*d*) PUZOS l. c. p. 357.

(*e*) id. l. c. p. 376.

(*f*) id. l. c. p. 346. & 377. LEVRET. §. 895.

(*g*) PUZOS l. c. p. 346.

(*h*) ASTRUC l. c. p. 461.

ce fluentibus, urina atque dejectionibus alvinis cum pul-
 fu pleno, accelerato, cute ficca; mox infecutis pertur-
 bationibus animi, horripilationibus, deliriis, oculis scin-
 tillantibus, aut fixis; aliquando supervenientibus dolo-
 ribus spasticis, quæ symptomata, mors cessare facit. * Lac
 in utero hæere indicant visceris dolor, accensus calor
 & febris, symptomata hysterica, acris per vaginam ex-
 creta materies, perspirabilis malus, quem spargit, odor,
 superveniens tristitia, melancholia, febris lenta, atrophia,
 mors infecuta. Quod hæc symptomata a lacte per me-
 tastasin ad uterum delato dependeant, suspicere sinunt
 detumescencia mammaram, juncta cum pondere uteri
 pressione præternaturali in intestinum rectum, vesicam,
 vasa iliaca, intumescencia orificii uteri, calor & siccitas
 partium genitalium, durities & intensio abdominis. (i)
 Lacteam esse peripneumoniam colligimus, si incipit hor-
 ror, pulsu frequenti qui, morbo progrediente, magnus
 fit & durus, si sedes morbi in pleura est, punctio sentit-
 ur in lateribus quæ intenditur ægrotae motibus, aut
 tussi. Si in pulmone, nullus quidem dolor in lateribus
 sentitur, laboriosa autem respiratio est, facies rubra,
 inflammata, tussis urget, excreatur materies pituitosa,
 interdum cum sanguine mixta; delirium vexat, urina
 ab initio clara, mox rubra est, flaccescit mamma. (k)

§. XXII.

Videamus nunc, quid boni, quid mali nos suspi-
 cere sinat metastasis lactea. Dijudicatur exitus ejus potius
 ex partis, quam occupat, nobilitate, quam ex subiecto,
 aut iis, quibus complicata esse potest, morbis. Minime

(*) LEVRET l. c. §. 874. sqq. Egregie hujus morbi historiam depin-
 xit LE MOINE l. c. p. 495. cum qua conf. PUZOS l. c. p. 387. sqq.
 & DELEURYE l. c. p. 359. ab hac apoplexia lactea distinguit suffo-
 cationem. l. c. p. 361. seqq.

(i) LE MOINE l. c. p. 503.

(k) Id. p. 498. DELEURYE l. c. p. 364. seqq.

tamen nego, quod varia subjecti constitutio, morbi prægressi, concomitantes, aut supervenientes, aliaque circumstantiæ aliquid conferre possint, ut malum sortiatur exitum lactis aberratio. Metastasin lacteam raro periculum alere, quoniam lymphæ haud ita facile in suppurationem aut gangrænam abit, confirmat ASTRUC, ^(l) attamen citissime metastasin lacteam in gangrænam abire observavit Puzos ^(m). Majori cum periculo conjuncta est illa metastasis, quæ ad phlegmonis indolem inclinât, quia sanguis stagnans majores procreat dolores, febrem accendit, ut suppuratio, aut gangræna metuenda sit. Si autem lac in suppurationem abiit, ulcera maligna exsurgunt, quæ nec facile detergeri, nec consolidari valent. ⁽ⁿ⁾ Quo minus a termino partus distat puerpera, eo magis periculosi sunt morbi ex lacte in massa sanguinis retento orti: Primis itaque puerperii diebus rarissime post quartum aut quintum diem febris lactea maligna exoritur. ^(o) Si vehementes inflammatoriæ, malignæ febres lactis in mammis defectui superveniunt simulque lochia sunt suppressa, quibus malum augurium esse perspiciet. Spes vero affulget, si lac ad mammas redit, aut per alias vias critice excernitur. Metastasis externa difficulter curari se patitur, & vix non semper malas post se trahit sequelas, gangrænam, malam suppurationem, ulcera sæpe maligna. ^(p) Si lac in una, aut pluribus mammæ glandulis stagnans in suppurationem abiit, non prius suppurationis materies fundi cessat, nisi tota glandula sit fusa, unde mamma sæpius ad tam parvam molem reducitur, ut non nisi paucissimam lactis copiam continere possit, ^(q) suppurationis autem mate-

^(l) l. c. p. 462.

^(m) l. c. p. 347. quæ mala metuenda sint ex metastasi lactea egregie docet LE MOINE l. c. p. 495. ⁽ⁿ⁾ ASTRUC l. c.

^(o) LE ROI l. c. p. 200.

^(p) DELEURYE l. c. p. 355. & 357.

^(q) PUZOS l. c. p. 348.

ries in cellulofam mammae effufa, fibi ipfi exitum quaerit, & mamma, materie intra quatuor quinque dies effufa, cicatrice clauditur, & priftinum obtinet volumen. (r) Semper metuenda eft metaftafis ad hypogaftrium facta, & eo magis fi malum ignoratum, duritiem acquifivit, ut folvi amplius non poffit. (s) Metaftafis interna longum tempus requirit, ut refolvatur, topicis enim medicamentis refolutio promoveri nequit, attamen malae fequelae avertuntur, per calorem partis affectae, qui cum lymphae lacteae blandum calorem & fluiditatem communicat. (t) Si lacti ad uterum delato prompta adhibeantur auxilia, fpes eft curationis, quae difficulter obtinetur, ipsis tardius adhibitis (u); abfceffus in duplicatura ligamentorum latorum ex lacte degenerato ortus, nifi aegrotata pereat, fitularum metum excitat, anceps eft ipfa curatio (x). Solliciti effe debemus, fi lac ad abdomen divagatum eft, fpafmos enim in omnibus solidis excitari, lochia fupprimi, vifcerum abdominalium conditionem inflammatoriam, ad quam per graviditatem difpofitae fuerunt, augeri obfervatum eft (y). Maxime autem angimur, fi lac ad cerebrum delatum apoplexiam fufcitavit. (z)

§. XXIII.

Quum, uti jam dictum, omnis metaftafeos lacteae caufa proxima in lacte degenerato pofita fit, cuncta medicinae opera eo erit vertenda, ut caufa tollatur, ex qua haec degeneratio, fuos traxit natales. Lactis itaque degeneratio praecavebitur, & ne aliena in loca intret, impediatur, fi ejus abundantia minuitur diata, mamma-

(r) Id. l. c. p. 349.

(s) PUZOS l. c. p. 357.

(t) ASTRUC l. c. p. 463.

(u) LE MOINE l. c. p. 503.

(x) DELEURYE l. c. p. 377.

(y) Journ. de Médec. T. XXIV, p. 415.

(z) LEVRET §. 879, 199.

rum fuctione (a) venæfectionibus, chyfmatibus, laxantibus iteratis, lenibusque purgantibus, (b) fi fpiffitudo attenuatur, & diluatur potibus diaphoreticis & diureticis. Si vitia mammarum, quantum potest, corriguntur, tubuli lactiferi referantur &c. Si vero lactis metastasis jam facta est, ad hæc præcipue momenta attendat Medicus necesse est, nempe ut lacteum humorem ftagnantem diluat, & ejus excretionem promoveat; ejus copiam tam in tumore lacteo, quam fanguine latentem minuatur; glandularum, fi quæ adfunt, obftructions referet, ut eo faciliorem obftruenti humori exitum concedere queant. (c) Hunc in finem in ufum trahantur diaphoretica & diuretica, reiteratæ inftituantur venæfectiones, quieti fe tradat ægrotæ, in calore teneat partem affectam, cui applicanus cataplafma ex mica panis, lacte & croco, clyfmata injiciantur, ingerantur apozemata laxantia, quæ ingreditur arcanum duplicatum, purgantia leniter irritantia fæpius in auxilium vocentur. Si admodum magnus est lacteus tumor, venæfectiones minime negligi debent, urina & fudor provocentur aqua nitrata aut aqua bardanæ, cum pauca quantitate tartari vitriolati: optimum effectum, experientia teftè, præftant diaphoretica & fortio-

(a) Si papilla nimis delitefcit, ut tenelli os eam capere non poffit, aut fi excoriata est, & rimis vexata inflammataque, doloribus vehementibus vexatur nutrix, fi tenello mammas præbet; ut hi præcaveantur dolores fimulque abundantie lactis alioquin exoriundæ obviam eamus, uber vaccinum excavatum, quod tubulum ex lamina ferrea efformatum includit, applicari potest. Hicce tubulus fuperne fine obtufo, multis foraminulis predito terminatur, inferne ubi ad mamam admoveatur, ut papillam recipere queat, in latam rotundamque laminam fele expandit cujus margo foraminibus gaudet. Super tubulum dicto modo conftitutum recens uber è vacca defuntum & excavatum expandunt, & per foramina in margine inferiore tubuli notata filis, quæ uber firment, traductis exiccant.

(b) LE MOINE l. c. p. 501.

(c) ASTRUC l. c. p. 463.

ra purgantia cum diæta. (d) Si spem resolutionis fecerunt modo dicta remedia, medicamenta huic scopo intervientia in usum trahantur. v. g. veficatorium vegetabile (e) herb. cicuta, aut ejus extractum; in parte affecta lenes frictions instituuntur (f) ut resolutio promoveatur (g) si tumor in suppurationem abire incipit, hoc opus naturæ adjuvetur cataplasmatibus maturantibus (h); ubi jam fluctuationem sentis, ne sinus, Galli *fusées* vocant, orientur, tumor aperiendus in parte maxime declivi, & plaga juxta artis Chirurgicæ regulas tractanda. (i) Ubi vero nulla resolutio est speranda, & glandulæ potius indurescunt, fortiora resolventia in usum trahantur (k) v. g. empl. vignonis cum quadruplo mercur. nuptum cum empl. de mucilaginibus; martialia (l) exhibeantur interne, mercurialia atque camphorata externe & interne præscribantur (m) ut lac in sanguinem hærens & interne præquin & emmenagoga aliquando in usum trahi possunt, ut per uterum humor lacteus degeneratus eliminetur. Denique si dicta remedia incassum fuere adhibita, confugere solemus ad thermas & embrocationes: (n) Hæc curam aberrationum lactis in genere spectant, facile nunc erit perpectu, quid in quovis casu speciali agendum sit.

(d) ASTRUC l. c. p. 464. sq. conf. LE MOINE l. c. p. 501. DELEURYE l. c. p. 357. sq.

(e) LE ROI *Versuch mit der Seidelb. astrinde.* p. 105.

(f) Præcipue si ulcera mali moris exorta fuerunt, *Journ. de Medec.* T. XII. p. 153.

(g) ASTRUC l. c. p. 465.

(h) Id. l. c. p. 466.

(i) DELEURYE l. c. p. 357. ASTRUC l. c. Ab his autoribus recedit LEVRETI §. 973. sq. methodus, quia timet, ne difformis evadat cicatrix, si ferro tumor fuit apertus.

(k) DELEURYE l. c. ASTRUC l. c.

(l) ASTRUC l. c.

(m) MECKEL, l. c. p. 67.

(n) ASTRUC l. c. cf. LEVRETI §. 984. sqq.

Si v. g. stagnat lac in manumis, ut attenuatum lac in sanguinem refluat, annitendum est. Dissolvat itaque Medicus lac in tubulis hærens medicamentis internis saponaceis, resolventibus salinis mediis, & externis emollientibus, camphoratis, vasa venosa relaxantibus, & ad refluxum velociorem vascula minima irritantibus. (o) In utero hærens lac, ut ad propria vasa revertatur, faciunt diæta, cataplasmata emollientia, & resolventia abdomini applicata, clysmata leniter laxantia & resolventia, injectiones in uterum ex aqua cum melle aut camphora, aut ex lacte cum aqua minerali Propinandæ sunt infusiones aromaticæ, serum lactis cum aqua minerali, & laxantia amara. (p) In apoplexia lactea, humorem lacteum ad cerebri substantiam delatum aut inter ejus membranas effusum, ex hoc viscere derivamus, dum caput pulvinari attollimus; si mammæ flaccidæ sunt, superhabentur cataplasmata maturantia & irritantia, instituantur frictions in partibus inferioribus, potus copiosi ingerantur, diæta, venæsectiones in pedibus, clysmata, emollientia & laxantia proficiunt. Quum dolores capitis dejectionibus alvinis imminui quotidiana experientia compertum est, quedam grana tartari emetici potui possunt immisceri. Morbo magis progrediente confugimus ad diaphoretica, vesicatoria, clysmata ex vino emetico quavis tertia hora injicienda, potum cum alcali volatili nubimus. (q) In peripneumoniæ principio profunt venæsectiones in brachio institutæ, & inter breve temporis spatium repetitæ, aer temperatus, caput & pectus elevata, chyfmata, laxantia, arcanum duplicatum (r) in

(o) MEREL l. c. p. 62. cf. TISSOT *Anleitung für das Landvolk* p. 362.

(p) LE MOINE l. c. p. 503. sq. conf. DELEURVE l. c. p. 376.

(q) Id. p. 496. conf. DELEURVE l. c. p. 360. ubi venæsectiones & emetica in morbi principio adhibita rejicit conf. & LEVRET §. 880 sq.

(r) *Il fait brusque la nature, la déterminer promptement à faire quelques évacuations, & il n'y a pas de plus prompte que les selles*, dicit DELEURVE l. c. p. 367.

infuso pectorali ingestum. Exulent sudorifera, emmenagoga, emetica, quæ machinam nostram non nisi cum periculo secutiunt. Egregie contra se gerunt cucurbitulæ & scarificationes, succio mammarum, frictiones cum emollientibus; cataplasma leniter irritans, ex galbano & rutha cum mucilagine quadam. (s) Si lac aberravit ad femora, instituantur venæsectiones in brachio, præscribantur evacuantiæ, provocetur perspirabile (t) applicetur cataplasma. (u)

Varia quidem adhuc ad materiem meæ qualicunque Dissertationis dilucitandam præferre potuiffem, sed paucitantum dies pro elaboratione relictæ, rem longius diducere vetuerunt.

(s) LE MOINE l. c. p. 498.
(u) TISSOT l. c. p. 362.

(t) PUZOS l. c. p. 350.

T A N T U M.



Strapburg, Diss., 1760-75



f
sb.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
METASTASI
LACTEA

1773,2

QUAM
PRÆSIDE NUMINE DIVINO
EX CONSENSU
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

19

ET
PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT
DIE XXI. APRILIS A. O. R. MDCCLXXIII.
JOH. CHRISTIANUS STURM,
LÜBBENENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI, ex Prelo JONÆ LORENZ, Typographi.

